





B. C. D. 1726/10
EXERCITATIO ACADEMICA

DE

ACTIONVM CIVILIVM
ET CRIMINALIVM
PRAEIVDICIO

SVB PRAESIDIO

MAGNIFICI DN. VNIVERS. RECTORIS

D. HENRICI HILDEBRANDI

SERENISS. DVCIS SOLISBAC. PALAT.

AC PERILLVSTRIS REIP. NOR. CONSILIARII

COD. ATQVE JVR. FEVD. PROF. PVBL.

ET VNIVERSITATIS SEN.

AD D. JUNII MDCCXXVI.

VENTILATA

A

IOHANNE MAVRICIO FICHTNERO

ALTDORFINO.

ALTDORFII

TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERI.



B. C. D.
EXERCITATIONIS ACADEMICAE
DE
ACTIONVM CIVILIVM
ET CRIMINALIVM PRAE-
JVDICIO
MEMBRI PRIMI
SVCCINCTA REPRÆSENTATIO.

- | | |
|--|---|
| <p>I. Explicat præjudicii vocem, & quod hac indigetetur præclusio & interemptio unius actionis per alteram.</p> <p>II. Significatus actionum sive judiciorum civilium & criminalium demonstratur.</p> <p>III. Indicat, quod pro diversitate concursus actionum vel electivi, vel successivi, vel cumulativi sit judicandum de actionum civilium atque criminalium præjudicio.</p> <p>IV. Monet actiones civiles rei persecutorias ad eandem rem competentes, sibi in concursu ita præjudicare, ut altera alteram tollat.</p> <p>V. Ostendit rei persecutoriam actionem unam tunc demum alteram tollere, si post electam actionem motam sententia sit jam tum secuta, & non duntaxat sit contestata.</p> <p>VI. Tradit, si actiones rei persecutorie concurrunt ex diversa petendi causa, has</p> | <p>ipsas tunc sibi non præjudicare, quominus omnibus agi possit ad compendium inde consequendum.</p> <p>VII. Demonstrantur plures actiones poenales, civiles ex diversis delictis ortas concurrentes, se non sufflaminare, bene tamen provenientes ex uno eodemque facto, nisi una actio amplius comprehendat quam altera.</p> <p>VIII. Indicat, quod actiones mixtae, cum simplicibus rei persecutoris competentes, sibi præjudicent, quia ad idem tendunt.</p> <p>IX. Monet mixtam poenalem actionem tolli quidem concursu cum simplici poenali quoad poenam, sed non ratione rei, nisi poenalitas in una illarum major exsistat.</p> <p>X. Exponit petitorium judicium possessorio quidem inferre præjudicium, sed non hoc illo, nisi quod hoc sit ratione processus illo prius.</p> |
|--|---|



I.

Acturi, de præjudicio actionum civilium & criminalium, præsentati in Exercitio Academico, nosse debemus ante omnia, quid sibi hæc velit vox: *Præjudicium*; a præ & judicio derivanda, varium significatum

ficatum alias involvens ; Quandoque accipitur pro exemplo, hoc sensu dicitur res, quæ cum statuta fuerit, affert judicaturis normam vel figuram, quam sequimur ; & sic præjudicium proprie est, superius iudicium, quo sequens aliqua controversia, jam tum iudicata ac determinata sit. arg. *L. p. ff. de re jud. L. 5. §. meminisse. 9. ff. de agnosc. & alend. liber. L. p. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* Unde præjudicium in controversiis de Statu hominum dicitur iudicium, cujus ex eventu plerumque alia quædam cognitio, quæ tantisper interea sustinenda est, disceptari debet. Theophil. §. præjudiciales. 13. *Inst. de Act.* Unde præjudicium est iudicium, quod præcedit alia iudicia, quibus agimus, ad aliquid dandum vel faciendum ; hinc præjudiciales actiones suam denominationem sunt sortitæ. Briffon. & Hotomann. in *Lexico. Jur.* voce : *præjudicium.* Joh. Oldendorp. *act. forens. progymnas. class. 3. actiõn. 9. §. 1. & seqq.* Brunnem. *de concurs. cumul. & transm. act. c. 1. qu. 5.* Quandoque præjudicii appellatio porrigitur ad omnes alias actiones, exceptiones, vel replicationes, quoties una ex his est, quam ante omnes alias definire oportet. *L. generaliter. 12. ff. de except.* ubi inquit Ulpianus : *in præjudiciis is, actionis partes sustinet, qui habet intentionem secundum id, quod intendit, hoc est, qui habet quasi intentionem fundatam, respectu eo, quod asserit esse verum, & in diffinienda lite omnibus aliis præferendum, hincque censetur actor præjudicialis ; sive agat, sive excipiat reus, sive replicet rursus actor ; de exceptione & replicatione videbis textus *L. Imperatoris. 30. ff. de reb. aut jud. poss. L. 26. ad L. Jul. adult. L. præses. 8. C. ad L. fab. de plag.* Denique per præjudicium intelligitur, nocumentum sive impedimentum ac præclusio actionis unius, per alteram, hinc Jctus Macer in *L. 63. ff. de Re jud. sape inquit, constitutum est, res inter alias acta, aliis non præjudicare : & Imperator in *L. 1. C. inter al. act. aliis non noc.* Ecce, non nocere vocant, quod Macer Jctus præjudicare dicit. Oldendorp. in *progymnas. act.***

act. class. 3. act. 9. n. 7. Brunnem. de concurs. & cumul. act. c. 5. §. 5. Nos autem in presentia ultimum significatum, nostrum facimus, dum hoc cumprimis explanare contendimus, quomodo actio concurrens criminalis civilem actionem vel præcludat, vel eidem sit nocumento. *L. un. C. quando civ. act. crim. praj.*

II.

Præmissa explicatione & significatione vocis Præjudicii, quæ sit hujus loci, nunc paucis nobis præfari licebit, quid intelligamus per actionem criminalem & civilem. *Judicium* etenim *civile* dicimus omnem actionem, qua agitur ad commodum & interesse, vel etiam ad pœnam actori accommodandam. *L. f. ff. de furt. L. un. C. quand. civ. act. crim. praj.* hinc civilia remedia audiunt, quibus suam quisque privatam utilitatem, ac propriam injuriam persequitur in sui compendium, vel, quia civibus privatisque hominibus ad ulciscendum dantur. *L. 9. §. 5. ff. de Public. & vect.* Hinc etiam de re familiari competere existimantur Paulo. *L. 4. ff. de Publ. Judic.* Criminalia autem judicia vicissim dicuntur; quæ in commodum Reipubl. vel ad pœnam pecuniariam fisci applicandam, vel emendativam, sive delinquentis ipsius, sive per exemplum pœnæ, civium universorum exercentur. *L. 28. §. 15. ff. de pœn. L. 16. §. f. eod.* Tabor. *vacem. crim. 1. th. 8.* quam ob rem criminaliter & pecuniariter agere sibi opponuntur. *L. f. ff. de priv. del. & L. 1. §. 1. ff. de test.* illo modo tam ex delictis extraordinariis & criminibus publicis. *L. f. ff. de extraord. crim. & t. t. inst. & ff. de Publ. Jud.* quam etiam ex delictis privatis ordinariis. *L. f. ff. de priv. del. & L. f. ff. de furt.* quæ criminalia judicia exercentur, tum nulla Lege lata, & extra ordinem. *L. 9. §. 5. ff. de Publ. & vect. & L. ult. ff. de furt.* nec non *§. 10. Inst. de injur.* tum Lege lata publica & ordinario modo. *L. 1. ff. de Publ. jud.* Sic Imperatores in *L. un. C. quand. civ. act. crim. praj.* judicia publica legibus publicorum judiciorum constituta manifesto criminalium



minalium appellatione complectuntur, prouti ea, quæ non Lege aliqua judiciorum publicorum, sed perfecutione extraordinaria, magistratusque imperio & potestate ventilantur, extraordinaria judicia audiunt. *L. f. ff. de furt. & L. ult. de priv. del. Hahn. ad Wesenbec. tit. de Publ. jud. n. 5. Anton. Matth. de crim. L. 47. ff. tit. de furt. c. 4. n. 3.*

III.

Vt autem faciliori negotio possimus intelligere criminalium civiliumque actionum præjudicium, & quousque altera alteri præjudicet vel noceat. *§. 10. inst. de injur. §. f. inst. de obl. qua ex del. L. f. ff. de furt. L. un. C. qu. civ. crim. præj. L. 130. ff. de R. J.* Supponimus cumprimis, pro examinando hoc discrimine, actionum concursum, qui nihil aliud est, quam confluentium plurium juris remediorum, eidem petitori, ex eadem obligatione, vel eodem jure in re, vel utroque, contra eundem competens. *L. 41. ff. de oblig. & act. L. 43. de Reg. Jur. Struv. in S. Jur. Civ. exerc. 46. th. 88. & 89. ibique Müller. Brunnem. de concurs. cum. & transm. act. c. 2. & seqq.* Sicuti autem ejusmodi concursus actionum triplex est, vel electivus, vel successivus, vel cumulativus. *Struv. S. J. C. Exercit. 46. th. 88. 89.* ita etiam pro indole cujuscunque concursus nobis dispiciendum erit de præjudicio, inter actiones concurrentes tam civiles, quam criminales; Electivus concursus etenim est, quando actiones concurrunt quidem ad eandem rem petendam; sed ita, ut actor ex pluribus simul competentibus cogatur unam eligere, qua suam persequatur, & una actione electa, nullus superfit regressus ad aliam, post sententiam ex actione latam, tamen si per electam actionem actor non obtinuerit, quod intendebat. *L. 9. §. 1. ff. de tribut. action. L. f. §. 1. C. de furt. L. 34. de O. & A. L. 88. ff. de furt.* Successivus autem concursus dicitur, quod id quod una actione non est obtentum, potest adhuc peti alia, adeo ut altera actio non electione agentis, sed consecutione demum ejus, quod petitum est, tollatur consumaturque. *L. 70. §. 8.*

§. 8. ff. de Legat. 2. L. 42. & 45. ff. pro socio. L. 53. ff. de O. & A. L. 7. §. 1. ff. commodat. Denique concursus cumulativus audit, si, quando plures actiones ad diversas res petendas competunt, ita, ut commodum ex omnibus actionibus concurrentibus nobis consequi liceat, nec altera alteram consumat. *L. 1. ff. de priv. del. L. 28. ff. de Novat. L. si res. 8. C. ad exhibend.*

IV.

Nunc agendum nobis primum est, de præjudicio actionum civilium, deinde de præjudicio actionum criminalium, plurium ex eodem facto concurrentium; tandem de præjudicio actionum civilium & criminalium concurrentium, tam ex eodem, quam facto diverso competentium. Quod attinet prius tractationis nostræ membrum, nempe præjudicium actionum civilium concurrentium, sane si tales actiones civiles petitoriae ex una eademque causa competunt & sese exerunt, altera alteram omnino ita consumit, ut una duntaxat, vel ideo liceat experiri. *L. 43. §. 1. ff. de R. J. L. 53. de O. & A.* quia secundum *L. 14. §. 2. ff. de except. rei jud.* una res amplius, quam semel nostra esse non potest, nam rei vindicationis nativæ unica duntaxat causa productiva est, dominium nempe. *L. 23. pr. ff. de R. V.* hinc unam eandemque rem non nisi una ejusmodi actione exigere possumus, ne contra b. f. eandem rem bis petamus. *L. 57. ff. de R. J.* respectu autem actionum personalium confirmatur adducta à nobis assertio. *L. 53. ff. de O. & A.* ibi: *si ex una obligatione plures actiones nascuntur, una tantum non omnibus utendum est.* Joh. Brunnem. *de conc. cum. & transm. act. c. 3. §. 1.* unde quoque ratione rei furtivæ, concurrunt quidem rei vindicatio & condictio furtiva. *§. f. Inst. de Obl. qua ex del. nasc.* *L. 3. §. 3. & L. 6. ff. ad exhib.* sed ita, ut si una actione harum electa & instituta, rem furto subtractam jam tum sim consecutus, sine dubio actioni alteri civili non electæ ita præjudicetur, ne hæc amplius possit a me moveri; quam ob rem constat,

Leg
naria,
dinaria
Hahn.
crim.
malium
alteri
de obl.
. 130.
oc di
con
m ob
undem
Jur.
Müller.
Sicuti
tivus,
b. 88.
icien-
a civi-
uando
ed ita,
igere,
it re-
li per
L. 9.
& A.
quo
alia,
e de-
. 76.
§. 8.



constat, quod etiam in hoc casu favorabiliores sint partes rei, quam actoris, cum hic una actione duntaxat experiri possit, reo autem pluribus, tametsi diversis sese defendere liceat exceptionibus. *L. 5. & 8. ff. de except.* Pariter si quis cum seruo merce peculiari negotiante contraxit, gaudet is, tam actione de peculio, quam etiam tributoria, harum tamen una electa, alteri ita fit præjudicium, ut regressus ad hanc ulterius non detur. *L. 9. §. 1. de Tribut. action.* Nec minus in tutela duæ actiones pupillo competunt in tutorem, altera tutelæ, altera de tutelæ rationibus distrahendis, si fuerit actum tutelæ iudicio, de rationibus distrahendis agi non potest & contra: Nam hæ actiones, quia respectu rei persecutionis ad idem tendunt, se sufflaminant. *L. 2. §. 2. ff. de tutela rat. distrab.* similiter si mihi tecum societas universalis est, & res ex ea societate communis, ut & si impensæ in eam factæ, & fructus exinde percepti iudicium pro socio, & communi dividendo concurrere possunt; Sed alterum alteri ita præjudicat, ut altero electo, agi altero amplius nequeat. *L. 38. §. 1. ff. pro soc.* Eligenti enim scienter quandam actionem ex pluribus, unius rei nomine sibi competentem, ad alteram ipsi reditus non patet, sententiæ ex eadem actione lata. *L. f. pr. C. de codicill. §. f. inst. de Obl. quæ ex del. nasc.* quo in casu Imperator in *§. 5. Inst. quod cum eo qui in alter. potest. gest.* munere consilarii fungitur, suadens, ut acturus intentat potius eam actionem; qua vel plus consequatur, vel minus gravetur probandi facultate. Rittershusi *ad §. 5. inst. cit. tit.* Vinnius Hotomannus Pichard. *ibid.* pariter Legatario ratione rei legatæ dantur diversæ actiones rei persecutoriæ *§. 2. inst. de Leg. L. 1. C. comm. de Leg.* hinc si Legatarius una egerit, quod defecerit in probando legato, quæ est causa omnibus istis actionibus communis, perperam recurrit ad aliam. *L. 76. §. p. ff. de Leg. 2.*

V. Perimi

V.

Perimi autem tunc demum, altera actione electa, alteram putamus, modo sententia fuerit secuta lataque, ob priorem jam tum motam. *L. 9. §. 1. ff. de tribut. act. L. 34. §. ult. ff. de O. & A. L. 41. §. 1. eod.* Brunnem. *sapius cit. tract. c. 3. §. 26. & 28.* Schotan. *in exam. jurid. part. 2. p. 261.* Tametsi enim Struv. & cum eo Petrus Muller. *in not. exerc. ad ff. 46. th. 93. lit. B.* eo collimare videantur, ut statuatur, quod duntaxat litis contestatione facta, una actione electa, altera consumatur; cum autem ante sententiam latam pœnitentiæ locus sit, ob licentiam emendandi mutandique libellum, actore reo expensas in judicio factas restituente. *§. 35. Inst. de Act. L. 4. §. f. A. de Nox. Act.* ideo Donelli sententiam, *in commentar. jur. lib. 21. c. 3.* actionem alteram, altera consumi demum actuali perceptione rei, post sententiam subsecutam, juri & analogiæ ejusdem conformiorem censemus. *L. 18. §. 3. ff. de pecun. constit.* Nec enim ratio hæc adduci potest, non convenire, ut una res bis petatur, neutra actuali perceptione & consecutione rei debitæ intercedente. *L. 2. §. 1. ff. de tut. & rat. tut. distr.* Hilliger. ad Donell. *Lib. 21. p. 722. 726. & 730. lit. X.* Cornel. van Eck. *ad ff. Tit. de O. & A. §. 85.* quam ob rem electa actione ex testamento, si heres non est solvendo, sibi non præjudicat legatarius, sola hujus actionis electione, quo minus adhuc actionem hypothecariam, contra possessorem bonorum defuncti, in quem hujus bona pervenerunt, movere possit: nam Leges eam ob causam actionem hypothecariam eidem dederunt, ut, si ipse legatum non valeat consequi ab herede, istud tamen impetrandi ex bonis defuncti supersit occasio. *arg. L. 16. §. 3. de pign. & hypoth.* Brunnem. *de conc. cum & transm. c. 3. qu. 2. §. 33. & 34.* Electa vicissim a Legatario hypothecaria actione, sibi hac ideo non præjudicat, quia potest exceptione ordinis sive excussionis, a possessore hypothecæ excludi, & removeri tamdiu, donec actione ex testamento, heres ut debitor

B

tor



tor principalis sit excusus. *Nov. 4. c. 1.* Nec minus periniquum foret, domino rei furtivæ eligenti rei vindicationem, contra furem vel tertium possessorem, si fortean in probatione domini, cujus probatio est difficillima, defecerit. *Carpz. L. 1. Resp. 70. Mascard. de prob. conclus. 533.* præjudicare solam electionem in movenda adhuc conditione furtiva, in qua domini demonstratio haud requiritur. *Bachov. de action. disp. 4. th. 23. pr. Vinn. ad §. 14. Inst. de Act. n. 3.* Unde etiam *Struv. S. J. C. Exerc. XLVI. th. 93.* sibi met ipsi fere contrariatur, dum ait: legatarium succumbentem, ratione rei, in specie legata, si non potuerit probare heredem vel possidere, vel dolo malo excidisse possessione: quia fortean res legata aliena domino suo restituenda erat, vel saltem dictante, recta ratione non prohiberi, contra eundem heredem actionem ex testamento intentare, idque nostro ex judicio non injuria: quia res aliena, sicuti legari, ita etiam a Legatario actione ex testamento omni jure petitur. *§. 4. & 6. Inst. de Legat.* Quantumvis adducta a nobis assertio limitanda sit in judicio possessorio, si quispiam elegerit quidem agere possessorio judicio, seposita actione petitoria: illo enim semel electo, non potest invita altera parte, hanc eligere, sententia judicis nondum secuta, quia semper possessorii causa prior, petitorii posterior & potentior est. *L. 35. ff. de acquir. & amitt. possess. L. 3. C. de interd. L. 13. C. de R. V.* hocque ordine inverso, adversarius appellandi facultate gaudet. *L. 1. C. de appellat. Carpz. L. 1. R. 71.*

VI.

Eginus hucusque de præjudicio actionum civilium rei persecutoriarum, ex una eademque causa concurrentium; nunc dispiciendum quoque erit, de pluribus actionibus concurrentibus civilibus ex diversis causis & factis derivandis. Sane hæc se non tollunt, nequidem post sententiam & condemnationem ex altera parte jamjam supervenientem, sed datur adhuc ad alteram regressus, ita, ut actor ex omnibus commodum consequi possit. *L. 14.*

L. 14. §. 2. ff. de except. rei jud. L. 159. ff. de R. J. L. 10. de act. empt. Brunnem. de conc. cum. & transm. c. 3. §. 27. Quam ob rem actionem moventi ob depositum scyphum & mutuum, sive creditam pecuniam. L. 29. ff. de O. & A. licet uti commodo ambarum harum actionum, depositi nempe, ac conditionis certi ex mutuo: quia hic non subvertatur una eademque debendi ratio, hinc altera alteri minime præjudicat; simili modo, si eidem reo distinctis temporibus, ædes, ac prædium vendidero, vel uno tempore plures res tradidero, & titulo venditionis & permutationis, mihi non est nocumento, ex singulis hisce id, quod mihi debetur, consequi, quia tot sunt res, quod sunt causæ & tituli, unde etiam tot sunt distinctæ sibi non præjudicantes actiones. L. 29. ff. de V. O. ibique Brunneinan. n. 2. & 3. Unde est, quod nec actio ad exhibendum, nec rei vindicatio, ceu actiones civiles ex diversa causâ, & ad diversum finem competentes, sibi præjudicent, sed in uno eodemque libello recte proponantur. L. 3. §. 3. ff. ad exhib. L. 6. eod. & L. f. C. ibid. Nec enim hic agens una electa, ratione alterius sibi præjudicat, nisi ex causâ lucrativa quispiam unam rem sit jam tum consecutus, si una actum & obtentum, ex altera lucrativa causâ, licet diversa, nec pretium petitur. §. 6. Inst. de Leg. L. 17. ff. de O. & A. Struv. exerc. ad ff. 46. th. 49. Joh. Brunnem. de conc. cum. & tr. c. 3. §. 29. Quia secundum vulgatam juris regulam, duæ lucrativæ causæ in eundem hominem & personam concurrere non possunt: cum contra æquitatem naturalem sit, ut aliquis amplius id petat, quod habet sine suo incommodo aut onere. L. 108. §. 4. ff. de Leg. 1. Rittersh. ad §. 6. Inst. de Leg. Ille tamen, qui pretium rei legatæ accepit, non prohibetur, quantumvis ex lucrativa causâ, rem alienam legatam ipsam petere, modo heredi comparandi eandem superfit occasio & ansa: nam qui pretium habet, non oppido rem habere censetur. Pomresch. ad §. 6. Inst. de Leg. Struv. Exerc. 35. th. 10. Goedd. ad L. 88. ff. d. V. S. Berlich. p. 1. conc. 12. n. 6. Donell. p. 1. comment. J. C. L. 16. c. 5.

perini-
contra
omnium,
sp. 76.
nem in
onstra-
23. p.
S. J. C.
, dum
legata,
o malo
ino suo
hiberi,
are, id-
legari,
petitur.
tio limi-
n agere
electo,
judicis
orri po-
ff. L.
nverso,
ppellat.
um rei
; nunc
entibus
se non
x altera
ram re-
i possit
L. 14.



VII.

Quod si autem concurrunt plures actiones civiles mere pœnales, dispiciendum venit: an hæ ipse oriuntur, ex diversis factis & delictis: num autem ex uno eodemque duntaxat facto atque delicto? priori casu, actiones pœnales civiles ex diversis delictis competentes, sese non sufflaminant, sed singulis licet solidum consequi, hinc una in iudicium deducta, reliquæ supersunt, ita, ut Actor omnium commodo frui possit. *L. 2. pr. & §. 1. ff. de priv. del. & L. 32. §. f. ff. ad Leg. Aquil. §. ult. Inst. si quadrup. paup. sec.* nunquam enim plura delicta concurrentia faciunt, ut alterius impunitas detur, neque delictum minuit pœnam. *L. 130. ff. de R. J.* Quam ob rem si quis servum alienum surripuit, atque vulneravit, tam actione furti, quam injuriarum ex *L. Aquilia* convenitur. *L. 27. pr. ff. de L. Aquil.* item si quis, alienam ancillam surripuit & flagitavit, eoque modo corrumpit, & actio servi corrupti & furti, in eundem delinquentem datur. *L. 2. §. 1. ff. de priv. del.* Pariter si quis rem quandam surripuerit modo manifesto, aliamque autem modo nec manifesto, actione furti manifesti mota, non præjudicatur actioni furti nec manifesti. Nec minus si quis feram bestiam ibi habuerit, quo vulgo iter fit, & nocuerit bestia transeunti, duplex actio adversus dominum bestie datur, altera ædilitia, altera de pauperie, hinc neutra alteram consumit. *§. ult. inst. si quadr. paup. Brunnem. in sapius cit. tr. c. 4. §. 9.* Vicissim in concursu actionum civilium pœnalem ex uno facto illicito, sive delicto orientium, potest quidem agi omnibus, sed ita, ut altera alteri præjudicet; nisi una plus complectatur quam altera. *L. 41. §. 1. ff. de O. & A. L. 34. cod. L. 1. ff. de vi bon. rapt. L. 52. §. f. ff. de furt.* exemplum est in eo, qui alterius rem rapuit, hoc equidem unum factum, unumque delictum efficit, rapinam scilicet, est hujus delicti plures sunt actiones, ut, actio furti, & actio vi bonorum raptorum. *L. 1. ff. de vi bon. rant.* quæ quidem ita competunt, ut si prius vi bonorum raptorum fuerit actum, actioni furti nec manifesti equidem

equidem fiat præjudicium. *L. 1. ff. vi bon. rapt.* non autem
 actioni furti manifesti, cui adhuc locus superest, ratione ejus,
 quod amplius continet. *L. 41. §. 1. ff. de O. & A. arg. L. 34.
 eod. L. 1. pr. ff. vi bon. rapt.* Brunnem. *c. tr. c. 4. §. 3. in med.*
 Quod si vero prius actio furti manifesti fuerit mota contra raptom-
 rem, actio vi bonorum raptorum ratione pœnæ duntaxat tolli-
 tur; si autem actum fuerit actione furti nec manifesti, ad huc
 vi bonorum raptorum agere licet, tum quatenus hæc amplio-
 rem, cum & ipsam rei persecutionem complectitur, quia
 illa huic nullum præjudicium attullit. *L. 80. §. 3. ff. de furt.
 L. 88. eod.* Wefenb. *ad ff. tit. de vi bon. rapt. n. 7.* Aliud
 exemplum occurrit in eo, qui arbores furtim cæcidit, contra
 quem dantur actio damni injuria dati ex *L. aquilia. L. 1. ff. arb.
 furt. casar.* nec non actio de eo quod vi aut clam. *L. 11. ff.
 eod.* & actio arborum furtim casarum ex *L. XII. Tab. t. t. ff.
 arb. furt. cas.* si igitur actum fuit *L. Aquiliæ* actione, altera actio
 arborum furtim casarum recte instituitur, quoad id, quod plus
 vel amplius continet. arg. *L. 1. ff. arb. furt. cas.* Berlich *p. I.
 aoncl. pract. 57. n. 3.* Oldendorp. *progymn. act. cl. 7. act. 7.
 lit. affine remedium.* Quod si vero primo loco actio arborum
 furtim casarum fuit mota, præjudicatur ita actioni *L. aquiliæ*,
 ut hæc plane cesset. arg. *L. 14. §. 13. ff. quod metus causa. L.
 41. ff. de O. & A.* actio enim illa ex *L. XII. Tab.* gravior est
L. aquiliæ, cum illa sit in pœnam 25. assium liberalium, in singu-
 las arbores succifas, secundum Plin. *L. 1. c. 18.* verba: *fuit &
 arborum cura. L. præcis, cautumque est XII. tabl. ut qui in-
 juria cecidisset alienas arbores, lueret in singulas aris viginti
 quinque.* Conrad. Rittersh. *ad Leg. XII. tab. cl. 3. p. 2. c. 37.
 p. m. 170.* levior autem Actio *L. Aquiliæ* est, utpote tantum-
 modo duplum comprehendens, sed durior est actio arborum fur-
 tim casarum. *L. 1. ff. arb. furt. cas.* quia multiplicatur in ea,
 ceu dictum, omne interesse. *L. 8. pr. ff. eod.* proinde siquid am-
 plius

Ipius est in actione arborum furtim caesarum, id consequimur hac actione, licet jam tum expertum sit L. aquilia. Denique publicani eorumque familiae, qui nonnunquam supra determinatum vectigal, vel dolo malo, & terrore injecto, extorquent plus, vel ex mercibus aliquid surripiunt, variis actionibus conveniuntur, ex edicto de Publicanis, actione in factum. L. 1. pr. ff. de Publ. actione furti, actione vi bonorum raptorum & damni injuriae L. 1. §. 2. & 3. ff. de Publ. si ergo aliquis egit ex L. Aquilia contra eosdem, vel ex edicto de Publicanis, adhuc actio furti manifesti, vel vi bonorum raptorum, eidem experiri licet; mota autem primo loco actione furti manifesti, caeterae omnes quoad poenalitatem expirant, si vero actio vi bonorum raptorum extat intentata, actio L. Aquiliae & de publicanis peremptae putantur. L. 41. ff. de O. & A. Brunnem. c. l. c. 4. §. 3.

VIII.

Perpenso praedictio actionum civilium, rei persecutoriarum & poenaliu, nunc offerunt sese mixtae actiones ratione obiecti vel finis, partim ad rem, partim ad poenam persequendam concurrentes cum simplicibus. Concurrente enim mixta eiusmodi actione, cum rei persecutoria simplici, illa haud consumitur per hanc, quatenus ea poenalis existit, sed duntaxat in ordine simpli, siquidem ratione rei altera alteri facit praedictum. L. 7. §. 1. L. 18. ff. commod. L. 27. §. 11. & L. 48. ff. ad Leg. Aquil. actorque alterutra contentus esse tenetur, quantum rei persecutionem attinet, ne eadem idem bis petatur, hinc in casu commodati tibi libri mei, si eundem dilacerasti, mihi duae competunt actiones, L. Aquiliae nempe, & commodati. Cum prius commodati contra te egi, L. Aquiliae actio mihi remanet, & quidem in eo, quod in hac amplius ob aestimationem quanti res fuerit triginta diebus proximis retro faciendam, seu poenalitatem. L. 27. §. 5. ff. ad L. Aquil. §. 14. Inst. cod. Tametsi assertio- nem hanc recte nobis cum affirmant Zasius ad L. 34. ff. de O. & A.

*Et A. Donell. L. 21. Comment. Jur. Civ. c. 3. Cujac. L. III. O. 23. Hotom. illustr. quest. 29. nihilofecius tamen eandem negant Paul. Castrenf. ad L. 7. commod. §. 24. Frid Hortleder. in tr. de conc. actionis realis vera ac poenalis mixta, pro se allegantes L. 27. §. 11. ff. ad L. Aquil. L. 18. eod. L. 50. ff. pro soc. hanc exinde argumentationem proferentes: qui una actione tenetur esse contentus, nec aliam exercere debet; ergo actio Legis Aquiliae, post intentatam rei persecutoriam actionem, moveri amplius nequit; quia hoc pacto actio Legis Aquiliae captatorie institueretur, atque actor idem bis consequeretur. Praeterea ratione textus L. 34. §. fin. ff. de Act. variae equidem occurrunt lectiones; altera enim est Donelli, secundum Florentinam editionem, in Lib. 21. comm. Jur. Civ. c. III. lit. P. quando legitur: *Verius est remanere, quia simpli subducto, locum non habet*; altera est Hotomanni *illustr. quest. 29. p. 251. sic se habens: Sed verius est remanere, quia simpli subducto, locum habet*; tertia Accursii eo collimat, *sed verius est eam non remanere, quia simpli accedit, Et simpli subducto, locum non habet*; quarta ultimaque est Hortlederi substituuntis pro voce: *remanere, verbum removeri*; ut alius sensus sit, *simpli nempe subducto, locum non habere actionem, scilicet in eo simpli, quod per actionem commodati, jam tum quis est consecutus, utique tamen L. Aquiliae actione id obtineatur, quod amplius in eo est, ne idem bis adjudicetur, sed aliud, quod adhuc deficit, secundum L. 7. in f. ff. commod.* Vnde omnino nos optima ratione in causa affirmantium sumus transgressi, intelligentes verba Legum in contrarium a dissentientibus adductarum, ne idem bis petatur, quoad simplum atque rem, quod tamen fecus est quoad poenalitatem, in altera actione, ceu diversum quid & aliud contentam; quia actiones ad diversa tendentes se nunquam sufflaminant. Struv. *Exerc. ad ff. 46. th. 99. ibique Petr. Müller. in not.**

IX. Quod



IX.

Quod si vero actio mixta concurrat cum mere poenali, civili, neutra alteri præjudicat; sed utraque quis recte experitur: quia tendunt ad diversa, *L. 2. §. 1. ff. de rat. tutel. distr.* unde actio furti recte instituitur cum actione de rationibus tutel. distr. nec illa licet sit mere poenalis hanc consumit, quoad rei persecutionem ejus, quod subtractum est, ex rationibus pupillaribus. Hahn. ad Wesenbec. *tit. ff. de tut. & ad. tut. distr. in f.* hinc actio vi bonorum raptorum concurrat cum actione furti; nec huic illa facit præjudicium quoad rei persecutionem, quæ simul in hac actione vi bonorum raptorum continetur. *pr. Inst. vi bon. rapt. §. 19. Inst. de Action.* utrumque enim res & poena seorsum debetur. *L. 54. §. 3. ff. de furt.* Struv. *Exerc. ad ff. 46. th. 97.* quod si autem concurrat actio mixta cum actione mere poenali, alteri per alteram non fit præjudicium quoad rem, bene tamen quoad poenam. *L. 88. ff. de furt. L. 1. ff. bon. rapt.* nisi forte in altera quoad poenam plus sit, uti est in actione furti nec manifesti, respectu poenalitatis in actione vi bonorum raptorum contentæ. Struv. *Exerc. 46. ad ff. th. 98.*

X.

Proposito actionum petitoriarum in concursu præjudicio, non videtur extra rhombum esse, nunc quoque adducere, quid de præjudicio actionum petitoriarum & concurrentium possessoriarum sit statuendum. Certum sane est omnem actionem petitoriam, nempe rei vindicationem, inferre præjudicium interdicto uti possidetis, & remedio retinendæ possessionis, quia ejusmodi possessorium absorbetur plane petitorio judicio, per *cap. 5. X. de causa possess. de proprietat. L. 14 §. f. ff. de except. rei jud.* si enim liquido constat de dominio, possessionis allegatio frustranea est, nec audiri amplius meretur, qui petit aliquid in possessorio, quod statim omittere debet in petitorio, & restituere

tuere ei, qui pro se jam tum rem judicatam habet in petitorio.
 Cothm. vol. 1. conf. 9. n. 29. Stuck. conf. 15. n. 1013. usque
 1018. Hinc secus est, si prius actum est possessorio iudicio,
 quo ipso rei vindicationi & petitorio iudicio nullum accidit ejus-
 modi praedictum, quo minus dominus suam proprietatem ad-
 huc vindicare possit, neutra plane exceptione rei judicata un-
 quam obstante, per L. 14. §. fin. ff. de except. rei jud. quamquam
 nihil impediatur, quo minus agens petitorio iudicio, possit simul
 suae rei vindicationi conjungere in Libello remedia recuperan-
 dae & adipiscendae possessionis, utut non simultanee, alternative
 tamen aut successive, per L. 18. §. f. ff. de vi & vi armat.
 L. 1. §. 4. ff. quod Legator. L. 12. §. 1. ff. de acquir. vel
 amitt. possess. tametsi de jure civili propter diversum ordinem
 procedendi non possint simul tractari, cum prior & levior sit
 causa possessorii, quam petitorii. arg. L. 3. C. fin. regund. L.
 10. C. de judic. L. 7. §. 3. ff. de liberal. causa. Frantzk. Ex. 14.
 ad Inst. quast. 1. & 2. attamen ita uno eodemque libello propo-
 ni possunt, ut eorundem iudiciorum ventilatio subordinate ad-
 mittatur. c. 3. X. & seqq. de caus. poss. & propr. eo modo
 nempe, ut iudex praetermissio petitorio possit prius judicare,
 vel de restitutione possessionis in continenti defungenda, sive
 immisionem in possessionem rei petendae decernere; & si non
 satis fundata deprehenderit ista remedia possessoria, super solo
 statim petitorio cognoscere & pronunciare. Carpzov. L. 1. res. p.
 71. n. 23. Stryck. in us. mod. ad ff. tit. de interd. §. 4. Hopp.
 ad §. 4. Inst. de interd. n. 1. hinc dispalescit, quod possessio-
 rium recuperandae vel adipiscendae possessionis, quantumvis eo-
 rum decisio non faciat praedictum rei vindicationi & petito-
 rio, faciat tamen isti praedictum ratione prioris judicialis tra-
 ctationis instituendae, quo hoc sit posterius in unum, omni
 possessorio remedio recuperandae adipiscendae & retinendae posses-
 sionis, postponendum. L. 14. §. f. ff. de re jud.

C EXER-

ci-
ur:
nde
tel.
rei
lla-
str.
one
m,
pr.
&
rc.
um
um
yr.
sit,
in
ad
io,
aid
es-
be-
er-
us-
s.
rei
cio
in
ti-
ere



EXERCITATIONIS HUIUS ACADEMICAE
DE
PRAEJUDICIO ACTIONVM
CIVILIVM ET CRIMINALIVM
MEMBRI SECVNDI
BREVIS DISCVSSIO.

- II. *A*ctiones criminales concurrentes se invicem tollere impositione una poena mortis graviore atrociorique, sepositis poenis levioribus, nisi quod quandoque augmentum illi graviori supplicio adjungatur, evincit.
- III. *T*radit poenales criminales actiones extingui quidem, una licet poena corporis afflictiva ex diversis concurrentibus delictis obtinente; hoc limitari tamen assertum in illarum poenarum praedictis vel poenis a lege compatilibus factis.
- III. *O*stendit actionem poenalem civilem suavitatem, inferri praedictum criminali instituende, quae tamen in concursu alias ille est anteferenda.
- IV. *T*raditur ex eodem fundamento actionem injuriarum poenalem, perimi criminali accusatione & persecutione, & contra, quamvis sit ex diverso delicto sit agatur, aliud sit statuendum, & praedictum privatum, publico non inferre praedictum.
- V. *M*emoratur actionem civilem rei persecutoriam, criminali accusatione non tolli.
- VI. *A*ctionem ad Palinodiam, pariter criminali famosi libelli accusatione non perimi, exhibet.
- VII. *M*onet denique cognitionem causae gravioris & principalis, pandere demum viam cognitioni causae minoris & minoris principalis.

E

Pertractato superiori in membro hujus Exercitationis Academicae, praedictum actionum ex facto licito, & jure in re competentium concurrentiumque, in medium nunc producendum venit praedictum causarum criminalium concurrentium; haec sciendum est omnino, in concursu harum causarum semper respici, ad istud delictum, quod majorem & graviorem poenam meretur: hanc enim absorbere minorem poenam delicti simul existentis levioris & minoris, tam expeditum, quam manifestum arbitramur; nec locum habet eo modo poenarum multiplicatio

plicatio, unde ille, qui aliquem vulneravit & occidit, de homicidio tantum punitur, poenaeque vulneris cum poena homicidii confunditur. Glossa in *L. qui de crimine. 9. verbo: plurima. C. de Accusat.* Jodoc. Damhouder. in *prax. rer. crim. c. 77. n. 4.* Prosper. Farinac. in *prax. crim. Lib. 1. tit. 3. qu. 22. n. 30.* Didacus. Covarruv. *c. 10. n. 8.* quamobrem formari plerumque solet haec regula: Quod pluribus & diversis delictis existentibus, reo majoris & atrocioris criminis supplicium solummodo sit imponendum, neglectis reliquorum delictorum leviorum poenis. Carpz. *prax. Cr. p. 3. qu. 132. n. 19.* licet enim quisquam existimare velit, hac ratione non nisi ob unicum delictum reum puniri, reliquaque delicta impunita manere. *L. 51. ff. ad L. Aquil.* rectius tamen & prudentius pro omnibus simul criminibus mortis supplicium irrogatur, cum quod poenarum cumulatio non admittatur, nisi in id, quod amplius est in una, quam altera poena. *L. 1. ff. vi bon. rapt. L. 32. L. 41. §. 1. ff. de O. & A. electa* enim poena mortis leviori, per hujus poenae gravioris executionem pervenitur ad finem reliquarum poenarum, quibus mors delinquenti non infligitur, nec quicquam ulterius inesse potest coercitioni minori, quam quod majori mortis poena jantum est comprehensum, & sicuti regulariter majus delictum tollit minus, ita major poena minorem absorbet. Jul. Clar. *L. 5. sentent. §. ult. qu. 84. vers. alius est casus.* Bartol. in *L. nunquam plura. 2. ff. de del. priv.* tum quod varia & plura suppliciorum mortis genera inter se compatibilia non existant, quia impossibile est, ut pluribus simul supplicii vita reo adimi possit, quare non injuria, nisi unica poena mortis, eaque ceteris atrocior delinquenti est infligenda. Nec obstat *L. nunquam plura. 2. ff. de priv. del.* ex qua axioma hoc depromitur, quod plura delicta non unica, sed pluribus poenis plede debeant, & singulis delictis, singulae poenae competant, neque altera alteram consumat. *L. 27. L. 48. ff. ad L. Aquil. L. 11. ff. de Serv. corr.* Siquidem huic dubio

AE

M

L

actio-
ni cri-
me, &
reio sit
5 judi-
ciferre

peste-
e non

crimi-
nperi-

cause
emum
5 mi-

Aca-
n re
pro-
ren-
rum
rem
elicti
mani-
ulti-
tatio

dubio facile occurritur distinctione inter poenas compatibles, uti est carceris poena, multa, relegationis vel exilii irrogatio, & inter poenas inter se non compatibles & non iterabiles, utpote poena mortis, aut fustigationis & perpetui exilii: illo casu, pro singulis delictis plures poenæ compatibles & iterabiles possunt simul infligi, neutiquam autem id procedit hoc modo in concursu delictorum, poenas non compatibles merentium, ubi minor poena semper absorbetur a majore. Reusner. *dec. 20. n. 16.* Salicet. *in L. 5. n. 3. 4. C. ad L. Jul. de adult. & Carpz. Pr. Crim. P. 3. qu. 132. n. 14. & 25. seqq.* qui veritatem asserti pluribus exemplis & præjudiciis usu ac praxi firmatis evincit; hinc est, quod in puncto incendii, occisionis hominis, & furtorum commissorum, sequentem in modum pronunciari solet: *So mödyte S. P. wegen solcher begangenen und befandten Verbrechen, als des dreyfachen Brand: Schadens, Entleibung und unterschiedener Deuben, mit dem Feuer vom Leben zum Tod gebracht worden.* Nec minus si foemina soluta marito se prostituens, ab eoque imprægnata interficiens infantem, hujus duplicis sceleris causa, quod diversimode coerceri solet, nempe fustigatione atque poena culei, supplicio duntaxat mortis plecti meretur. Nunquam enim usu & observantia fori, ejusmodi poenas compatibles censerentur, plusquam expeditum est, sed major semper poena mortis, minorem poenam corporalem sufflaminat: nam licet quibusdam in locis poenarum ejusmodi in compatibilitate multiplicatio adhiberi sit solita, hoc tamen non obtinet exemplaritate delictorum, sed propter criminis cujusdam atrocitatem, quo facinerosi abstineant eo magis a gravioribus facinoribus, hac poenarum multiplicatione perterriti. Farinac. *in pr. Crim. L. 1. T. 3. qu. 22. n. 30. 31.* Carpz. *pr. Crim. p. 3. qu. 32. n. 64.* Nec contrariatur, quod quandoque in delictis atrocioribus poena exacerbari vel augeri soleat, adustione ferri candentis, impositione trahæ, vel rotæ, manus amputatione, siquidem omnes,

hæ

hæ species poenam ordinariam aggravantes, non tam sunt poenæ
 peculiare corporis afflictivæ, sed solummodo augmenta ultimi
 supplicii, jure manifesto introducta approbataque. Ord. Cr. Carol.
 V. Art. 130. 131. 137. 144.

II.

Quod si delicta plura concurrunt, quæ singula, diversas
 poenas corporales merentur, non nisi una ex hisce imponi po-
 test, qua alteri sit præjudicium: quantumvis enim varietas sce-
 lerum varietatem poenarum importet. L. 51. in pr. ff. ad L.
 Aquil. nec harum altera, alteram absorbeat. L. 60. ff. de O.
 & A. hoc tamen obtinet duntaxat in poenis compatilibus, ni-
 mirum carceris & multæ irrogatione, non autem in poenis in-
 compatilibus, quales sunt variæ poenæ corporales, sive corpo-
 ris afflictivæ, periniquum enim foret corpus delinquentis du-
 plici modo affici et lacerari, tametsi reus duplex commiserit deli-
 ctum, quorum alterum fustigatione, alterum manus abscis-
 sione meretur coerceri, unicam duntaxat poenam, vel fusti-
 gationis vel amputationis manus, pro utroque delicto irrogari
 convenit, quo ipso altera alteri præjudicium facit. Nicol. Reus-
 ner. L. 2. dec. 20. n. 16. Carpzov. p. 3. qu. 131. n. 69. & 70.
 nostrum tamen assertum tantummodo putamus verum esse, in
 poenis revera ac proprie corporis afflictivis, secus ergo se res
 habet in poenarum impositione improprie talium, uti est positio
 pro numellis; nam hæ numellæ proprie corporis afflictivæ poe-
 næ non sunt, sed solummodo poenarum corporis afflictivarum
 præludia. Ord. Crim. Caroli V. art. 198. ibi: Deffentlich am
 Pranger gestellet und fürter mit Ruthen ausgehauen. Carpzov.
 Pr. Crim. P. 3. qu. 129. n. 50. seq. nec minus nostra assertio
 haud procedit in poenis, quas Lex fecit compatibles, uti est
 abscissio digitorum, quæ licet sit poena corporalis, tamen in
 crimine perjurii & urphedæ violatæ, singulariter a Lege intro-
 ducta extat. in Art. 198. Ord. Crim. Caroli V. ibi: Deffentlich
 am



am Pranger gestellt, und hernach die zween Finger abgehauen, und fürter mit Ruthen ausgestrichen. Carpz. Pr. Crim. p. 1. qu. 46. n. 56. & p. 3. qu. 132. n. 72. Hinc pluribus levioribus delictis concurrentibus, pariter una duntaxat, & certa poena civilis reo imponitur, qua reliquis poenis diversis concurrentibus fit præjudicium, nec enim simul carceris & relegationis atque pecuniaria poena irrogantur, sed una ex his ita augeri & exasperari solet, ut omnibus istis levioribus delictis satisfiat; dummodo poena adhuc sit imponenda, si autem pro uno & altero delicto poena carceris vel pecuniaria jam tum indicta fuerit, quin alio crimine superveniente, reo adhuc possit alia ejusmodi poena, relegationis scilicet, iterato imponi, æque ambigendum non est. arg. L. 16. §. f. ff. de pen. Carpz. Pr. Cr. p. 111. qu. 132.

III.

Actionibus civilibus & criminalibus concurrentibus, quales sunt ex privato delicto actiones poenales ad poenam actori attribuendam, & persecuciones criminales ad poenam fisco applicandam; omnino in his dispiciendum censemus: num prius sit actum civiliter, an criminaliter? quod si enim iudex permittit actori experiri civili actione, furti nempe in duplum, vel quadruplum, magistratus extra ordinem insuper furem punire non potest. Sicuti quoque cum accusatus est fur apud præfectum urbis criminaliter, vel ab hoc extraordinarie contra illum actum, haud amplius nec in duplum, nec in quadruplum, civiliter agere licet: Quanquam enim nonnulli Juris Interpretes, id affirmare sint ausi, quos interest Gomez. L. 3. resolut. 5. n. 4. eo quod in L. f. ff. de furt. scriptum deprehendatur, furum improbitatem non solum civili, sed etiam extraordinaria animadversione coerceri; nihiloscilicet id valde leve atque insufficientis confirmationis genus esse putamus: non enim oratio JCTi in d. l. ult. conjunctim sed disjunctim est capienda, dum non hoc vult, posse simul & civiliter & criminaliter furti causa agi, sed vel civiliter vel criminaliter:

minaliter: quemadmodum id, parili disjuncta locutione Jctus
 adfruit de quibusdam privatis delictis in *L. ult. ff. de priv. del.*
 ubi inquit: *Si quis actionem, qua ex maleficio oritur, velit exe-*
qui, siquidem pecuniariter agere velit, ad jus ordinarium re-
mittendus est, nec cogendus in crimen subscribere: enimvero, si
extra ordinem ejus rei poenam exercere velit, tunc subscribere
eum in crimen oportebit. Apertius hoc de injuriis Imperator in
§. 10. Inst. de injur. disposuit hisce verbis: *Sciendum est, de*
omni injuria, cum, qui passus est, posse vel criminaliter agere,
vel civiliter; nec minus istud apertissime de furto Julianus e-
nunciavit in L. 56. §. 1. ff. de furt. Siquidem injustum foret ob
 idem admissum bis quemquam punire. Nec contrariatur *L. un.*
C. quando act. civ. crim. præjud. ubi actio cum accusatione con-
 currere potest, in verbis: *in plerisque prudentum responsum est,*
quoties de re familiari, et civilis et criminalis concurrat actio,
utraque licere experiri: sive prius civilis sive criminalis movea-
tur, nec si civiliter fuit actum criminalem posse consumi: Re-
 spondemus enim, præsentis hujus textus verba ita intelligenda
 esse, quoties nempe de re familiari, ceu eo, quod nobis abest,
 & civilis & criminalis actio competit, toties demum utraque
 experiri possimus. At cum actio furti æque ad poenam tendat,
 quam extraordinaria persecutio, unde cum hac non potest simul
 concurrere, quia altera alteri faciat præjudicium; Imo & ne-
 quidem criminis, publici reus, pluribus legibus accusari potest,
L. 14. ff. de accus. quanto minus privati delicti, utpote furti
 reus, binis poenalibus judiciis, simul coercendus est. Hinc si
 actori, furti poena dupli vel quadrupli adhuc hodie usitata, *Ord.*
Crim. art. 157. fuerit jam soluta, fiscus extra ordinem sive cri-
 minaliter ex officio adversus furem non agit. Anton. Matthæi
de crim. L. 47. ff. tit. 1. de furt. c. 4. §. 3. sed quid si mora
 actione furti in duplum vel quadruplum, fiscus unâ suam perse-
 cutionem criminalem instituerit? Hic ob interesse publicum
 præse-

preferendus est omnino ei, cui furtum factum, ad civilem poenam agenti, quia ob publicum interesse, causa fisci tanquam privilegiata melior; sed quoad aestimationem & restitutionem rei furtivæ, domini & læsi ex furto petitio justior, arg. *L. 31. ff. deposit.* quia fur debitor istius factus, cui rem abstulit, omnibus autem debitis & rei persecutionibus postponitur fiscus, agens ad sibi competentem poenam. *L. 37. ff. de Jure fisci.* Lauterbach. *compend. ad tit. de furt. p. 656. post med.* ibique Stryck. ad verbum: *præfertur.* Ergo furti actio in duplum & quadruplum facit præjudicium, extraordinariæ persecutioni criminali, hoc modo, si poena actualiter fuit obtenta; sicque non sola institutione, sed poene consecutione, hac non secuta fiscus, superveniens præjudicat actori poenam civilem persequenti. Nec id propterea nos premit. *L. 2. §. emancipatus. 4. ff. de collat.* qua actio injuriarum opponitur furti, & illa ad vindictam, hæc ad pecuniam pertinere dicitur; quia textus loquitur de diversis delictis, & de poenis compatilibus, diverso tempore irrogandis. Nec porro nobis adversatur exemplum actionis furti & *L. Fabiæ*, quo Imperatores inter alia utuntur in *L. un. C. quand. act. crim. civ.* dum concedunt actionem furti ob hominem interceptum & Legis Fabiæ Judicium de plagio: nam ibidem per actionem furti intelligimus conditionem furtivam, quæ non est poenalis, sed rei persecutoria. *L. 8. ff. de cond. furt.* tamen nonnunquam sub nomine actionis furti capitur, ut in *L. 71. ff. de furt. L. 9. ff. de in Lit. Jur.* Eckolt. *ad tit. ff. de cond. furt. §. 1.* hinc non dicendum est, constitutionem *L. un. C. Quand. civ. act. crim. prej.* intelligi non de accusationibus extraordinariis, sed publicis ut & Ulpianus indicare. *L. 7. §. 1. ff. de injurr.* & summus vir Cujacius *C. 20. Obl. 26.* id asserere videtur, quia priorera analogiæ Juris conformiorem nos arbitramur.

IV.

Facile hinc dijudicandum venit, quid sit sentiendum in specie de præjudicio actionis injuriarum civilis, concurrentis cum accusa-

accusatione extra ordinem contra reum movendæ; quamvis in actoris potestate consistat, utrum injuriarum agere, an criminaliter accusare reum velit. *L. ult. ff. de injur. & §. 10. Inst. eod.* nihilofecius tamen actione injuriarum poenali cum effectu mota, tollitur accusatio, & contra per accusationem actio sufflamatur, quoniam utriusque judicii idem finis est, nempe vindicta. *L. 56. §. 1. ff. de furt. L. 6. ff. de injur. L. 34. ff. de O. & A.* Tametsi equidem dependeat a nostra voluntate, utrum publico prius, an privato judicio experiri nobis lubeat, rectius tamen ex judicio Cujacii *C. 24. Obs. 16.* facturus est prætor, si non temere patiari judicio publico per privatum fieri præjudicium, sed potius privato per publicum. *L. 7. §. 1. de injur. & L. 6. ff. eod. nec adversatur nobis. L. 4. §. 1. ff. ad L. Jul. de vi priv.* cum ait: *moderatus edicto prætoris de injuriis utendum esse.* id est, non facile prætorem pati debere, ut ante instituta actione injuriarum, præjudicium fiat publico judicio *L. julia de vi,* quia non ex eodem, sed ex diverso delicto, causaque ibi agitur, altero nempe ex injuria, altero autem ob securitatem læsam ex *L. julia de vi. Brunnem. de conc. cum. & transm. ad. C. 5. §. 5.* Quo spectat decisio ista, quam dedit hujus Athenæi Collegium Jctorum in simili ferme casu, actionis injuriarum æstimatoriæ, a graviter in via publica pulsato, obmotæ, & ab Advocato fisci ob securitatem coadunatis hominibus adhibitis, violatam, simul institutæ accusationis ex *L. Jul. de vi publ.* hunc in modum: *Es ist zwar wohl nicht ohne, daß die von dem Advocato fisci angebrachte Klage, gegen und wieder N., nechst der gegen diesen von dem Amtmann N. angestregten Injurien; Klage gar wohl rechtlichen zugleich ventiliret und behandelt werden möge, weil ja denen Rechten nach bekant ist, quod judicium privatum publico judicio ex diversa causa intentato, haud faciat præjudicium, vel illud hoc minime sufflaminet. L. 7. §. 1. ff. de injur.* unde etiam est, quod accusatio ex *L. Julia de vi,* una cum actione injuriarum

D. rum



rum propitio jure concurrere possit. *L. 4. ff. ad L. Jul. de vi priv. Ant. Matth. de crim. lib. 47. ff. Tit. 4. de injur. C. 3. n. 9.* potissimum cum non ex eadem, sed ex diversa & distincta causa, hic agatur. *Perez. ad C. qu. civ. act. crim. prej. n. 2. & 3.* Nachdem aber in Gegenwart gleichwohl ab seiten des Advocati fisci ratione der gegen N. eingeklagten Gewaltfamen Thätlichkeit verschiedene aggravirliche Umstände mit angegeben, und diese von dem Beweis der a læso angebrachten estimatorischen Injurien, Klage dependiren; Als ist alleine die von dem Fiscali angebrachte accusatio ex *L. Jul. de vi publ. bis zu dessen Erfolg auszustellen, und so denn gleichwoln solche vor statthafft zu erkennen. Nec est quod quispiam superiori nostro asserto obiciat. L. un. C. qu. civ. act. crim. hac enim constitutio, hoc solum vult, si concurrat actio de re familiari cum publico judicio, alteri altero præjudicium non fieri; Verum enim vero actio injuriarum poenalis non ad rem familiarem, sed ad vindictam pertinet, ideo ejusmodi actioni poenali, accusatione publica sit præjudicium & contra, si forte actionem talem permiserit prætor. L. 7. §. 1. ff. de injur. Ant. Matth. de crimin. L. 47. ff. tit. 4. C. 3. n. 9. Brunnem. cit. tr. C. 5. §. 5.*

V.

In casu autem coincidentis actionis civilis rei persecutoriae, cum actione criminali ex eodem facto sive delicto, altera alteri minime nocetur: judicium enim ejusmodi civile non ad poenam, sed vindictam tendens est, & ad rem familiarem privatam vel pecuniariam, quæ nihil plane commercii habet cum judicio poenali criminali, per quod agimus ad vindictam, & poenam alicui imponendam, unde contra eundem ex uno eodemque facto, potest aliquis utroque judicio recte experiri, tam civili de re familiari & pecuniaria, quam criminali de poena & vindicta. *L. un. C. qu. civ. act. crim. prej.* quoniam in illo interesse privatorum, in hoc utilitas & vigor publicæ disciplinæ spectatur. *arg. L. 9.*

L. 9. §. 5. ff. de public. Nec obest, quod res semel iudicata non possit amplius retractari, si iam tum actum est civiliter, quia licet sit idem factum, res tamen est diversa atque distincta: alia enim est petitio rei suæ vel damni, alia est persecutio vindictæ, quam ob rem, civili iudicio finito, optima ratione ad huc intenditur criminale ex eodem delicto. Brunnem. cit. tr. c. 5. §. 7. Perez. ad C. qu. civ. act. crim. n. 2. hinc est, quod ille, qui per vim de possessione dejectus est, si de ea recuperanda interdicto unde vi fuerit usus, non prohibeatur etiam L. Julia de vi, publico iudicio accusationem instituere, quia istud iudicium ceu civile, tametsi ex delicto, tendit ad possessionem amissam recuperandam, & sic ad damnum rei familiaris resarciendum, hoc vero ad violentiam publicam publice accusandam, quo exemplum statuatur, ut alii deterreantur. L. 16. §. f. ff. de pan. Nec minus agens civiliter ob suppressum testamentum, in quo ipse est heres institutus, de tabulis exhibendis, utique ex L. Cornelia de falsis criminaliter accusandi habet licentiam. L. 2. & 7. ff. ad L. Cornel. de fals. Pariter si libertus se afferit ingenuum facitque ea, quæ ingenuorum sunt, tam de operis civiliter, quam etiam L. Vifellia criminaliter potest perurgeri ad poenam, ut dejiciatur e curia, infamiaque notetur, atque mulctetur. L. un. C. ad L. Vifell. rursus qui servum alienum interceptit & vendidit furti tenetur civiliter, i. e. conditione furtiva. arg. L. 71. ff. de furt. & de plagio criminaliter accusari potest. L. f. ff. de priv. del. L. 6. §. f. ff. ad l. Fab. de plag. & L. 6. C. eod. Nec minus de instrumento falsificato, potest quis agere civiliter ad læsionem reparandam, & finito hoc iudicio, criminaliter, ad poenam falsi irrogandam. L. p. C. ad L. Corn. de fals. Brunnem. ad L. un. C. qu. civ. act. crim. præjud. Perez. eod. tit. tendunt enim hæc recensita & tradita iudiciorum exempla, ad diversa & distincta sive separata, quarum unum alterum non tollit; sed si actio civilis & criminalis ad eundem spectant scopum; una extinguit alteram,

alteram, hinc accusatio injuriarum civilis ad vindictam & poenam & criminalis se invicem sufflaminant, quia ambo judicia vindictam involvunt. Gail. *L. 1. O. 65. n. 3.* neutra autem actio rem familiarem, quam *L. un. C. quand. act. civil.* modo in una actione supponit, hancce rem familiarem, pro damno pecuniario privati hominis, non pro ultione Interpretes juris accipiunt, explicantque. Cujac. *in solenni recitatione in Cod. quando act. crim. præj.* Marant. *p. 4. d. 1. n. 9. p. 47.* Jul. Clar. *§. f. qu. 2. n. 7.* Tametsi illa injuriarum actio ad poenam actori, hæc autem criminalis judici applicandam intendat, ideoque ambæ simul subsistere contra eundem reum nequeant. arg. *L. 7. §. 1. ff. de injur.* Farinac. *de crim. qu. 100.* Mastrill. *L. 9. dec. 122.*

VI.

Sed quid speciatim statuendum sit de actione ad palinodiam cum accusatione publica ob libellum famosum simul obmota, heic discutere non erit extra oleas vagari? Obloquitur quidem huic concursui cumulativo harum actionum Ant. Matthæi *de crim. ad L. 47. tit. 4. C. 3. n. 16.* quando ait: *Nec excipio actionem ad palinodiam, tanquam ea non ad vindictam, sed honoris atque existimationis reparationem pertineat. Nam eo ipso, quo cogitur adversarius in publico illatam injuriam recantare, satis acerbum supplicium sustinet.* Hahn. *ad Wesenb. sub tit. de priv. del. in f. Carpz. p. 4. C. 42. def. fin.* Verum enim agi ad poenam corporis afflictivam, nec multam fisco applicandam, in quo versatur præcipue scopus & finis actionum criminalium; sed magis urgeri eadem famæ & honoris restitutionem; accedit, quod in Camera Imperiali in causis criminalibus appellatio non admittatur. Ord. Cam. *P. 2. tit. 22.* ibi: *Allein Malefiz-Sachen ausgenommen. & tit. 28. §. Item nachdem.* Gail. *L. 1. O. 1. n. 28.* in actione recantatoria autem appellatio recipiatur. Ord. Cam. *p. 2. tit. 28. §. Und sonderlich, vers. Doch sollen*

sollen die Sachen. Denique & nostra assertio hoc argumento
 potissimum iuvatur, quod actio ad palinodiam, cum aestimatoria
 in eodem libello cumulari possit; unde & hoc de criminali nul-
 lum habet dubium. Frantz. *exerc. 12. qu. 10. n. 8.* Carpz. *p. 4.*
const. 42. def. 2. n. 32. seqq. Tametsi enim hæc assertio ambi-
 gua videatur, fortissima tamen hac argumentatione nititur:
 quodcumque duæ actiones ex uno eodemque delicto oriuntur,
 quarum una est rei persecutoria, altera poenalis, una alteram
 non consumit, sed cumulari possunt per *L. 7. §. 1. ff. de cond.*
furt. atque hæc actiones ex uno descendunt delicto, quarum una
 est rei persecutoria, altera poenalis, ergo se non sufflamina-
 nt. *Gail. L. 1. O. 65.* Perez. *in Cod. tit. de injur. n. 24.* Hahn. *ad*
Wesemb. eod. tit. n. 18. Eckold. *ad ff. sub tit. de injur. §. 17.*
 ut in foro Saxonico aliud sit receptum, ubi actio ad palino-
 diam, cum actione quidem injuriarum criminali concurrere po-
 test, non autem cum aestimatoria per Rescriptum Electorale,
 quod refert. Carpz. *P. 4. C. 42. post def. 16.* ubi varias adducit
 rationes, quas tamen non omni dubio carere monet idem Carpz.
in Pr. Cr. P. 2. qu. 94. n. 15. adstruens hanc actionem plane
 famosam non esse, quia seu conditio ex moribus ad famæ perfe-
 cutionem & reparationem tendit, qualis conditio infamie mac-
 culam haud minuit. *L. 36. ff. de O. & A. Wesemb. P. 1. Conf.*
22. n. 25. Eckold. *ad ff. tit. de injur. §. 17.*

VII.

Ex hucusque in medium allatis diversis concurrentibus a-
 ctionibus dispalescit equidem, quod nec civiles actiones crimi-
 nales impediunt; nec hæc illas sufflaminaunt; verum id omne
 tamen ita procedit, ut per minorem causam majori præjudicium
 fieri haud debeat, cum durior actio, leviolem ad se trahat, &
 sic prius de actione principali, & majori sit statuendum judican-
 dumque, quam de actione minus principali & minori causa, unde
 prius examinanda erit accusatio criminalis, quam iudicium civile

D. 3.

concur-

concurrens. *L. 54. ff. de Jud. L. ult. C. de ord. jud.* nimirum dejecto per vim majorem, poenam vel mortis vel corporis afflictivam involventem, de possessione, competit actio de vi publica & rei possessionisque persecutio, quæ utraque si in iudicio proponitur, prius iudex cognoscet de vi, quia minus periculum in dilatione ejus est, propter fugam rei, quam in suspensione cognitionis, super possessione & proprietate. arg. *L. 54. ff. de judic.* Similiter petita hæreditate ex testamento, hoc iudicium differendum esse convenit, propter accusationem falsi; hac falsi enim accusatione demum ad finem perducta, iudex peragit, iudicium de hereditatis petitione. arg. *L. f. ff. de ord. jud. & t. t. X. de ord. cogn.* vel ideo causa criminalis civili præfertur, cum reipublicæ interfit, crimina quam citissime compefci, & quia etiam fit, ut quandoque civilis actio criminali præjudicet. *L. un. C. qu. civ. act. crim.* Assertum tamen hucusque memoratum nostrum, limitationem utique recipit in casu, si causa civilis cum criminali concurrens, est ejusmodi indolis, ut in dilatione ejusdem plus subsit periculi, quam in causa criminali; hoc respectu certe civilis causa criminali præfertur; unde interdicto unde vi, non majori, sed leviori nullam poenam gravem mortis vel corporis importante, si agatur, prius civiliter de possessione agendum est, quam accusatione de vi publica. *L. 7. C. ad L. Jul. de vi publ.* quia in causæ civilis dilatione, de possessione plus est periculi, quam in dilatione causæ criminalis, interim enim dum ageretur de criminali causa, privaretur dominus commodo possessionis, quod est magnum *§. 4. Inst. de interd.* & periculum esset, ne pendente criminali causa, veniretur ad manus; huic sententiæ neque *L. 5. §. 1. ff. ad L. Jul. de vi publ.* neque *L. 37. ff. de judic.* adverfantur, quia ibi non quaritur, an causa criminalis sit præferenda civili ex interdicto de possessione, sed causa civili de proprietate: possessionis enim vox ibidem capitur pro proprietate, quod non est infrequens per *L. 78. ff. de V. S.* quod

300

quod si autem civili disceptationi principaliter motæ, incidat
 quæstio criminis, vel accusationi criminali prius motæ, civi-
 lis causa adjungatur, vel potest judex sua sententia super prin-
 cipali controversia lata, utramque quæstionem ex eadem causa
 ortam simul dirimere. *L. 3. C. de Ord. jud. L. 178. de R. J.*
 modo judex tam in civili quam in criminali, judicandi potestate
 gaudeat. *Perez. ad C. tit. de Ord. cogn. n. 2.* præterea quoque
 superior nostra assertio procedit, ratione causæ criminalis, præ
 civili cognoscendæ, modo utraque actio oriatur ex eadem causa.
L. un. C. qu. civ. act. crim. non autem, si ex causâ diversâ &
 separata: nam, quid iniquius foret, quam si institutam a credi-
 tore actionem obruere debitor conetur accusatione & objectio-
 ne criminis, quod cum proposita actione nihil habet commune.
 Hinc prudenter admodum ab Alexandro Imperatore provisum
 extat, ut quoties judex videt morandæ solutionis causâ, a debi-
 tore crimen objici creditori, suspensa cognitione criminis, eum
 ad solutionem compellat. *L. 2. C. de fals.* quod etiam in *L. p.*
C. eod. hisce verbis est eo approbatum, ut quæstione civili, quæ
 scilicet ex alia re oritur, per sententiam terminata, criminis de-
 inde fiat indagatio. *Perez. ad tit. C. qu. civ. act. cr. n. f. Brun-*
nem. de cont. cum & trans. art. C. 5. §. 5. seq. Hæc Exer-
 tationis Academicæ loco proposita esse sufficiant, quæ desunt,
 ut B. L. suo favore ubique suppleat, est quod ab ipso
 perquam humaniter contendimus.

D. S. H. A.



Mars



MArs sopit, FICHTNERE, moves nova praelia solus,
 Non tamen hæc Martis signa, sed Artis opus.
 Ingeniose pugil faustis infisitico cœptis,
 Talia sunt ausis praelia digna tuis.
 Ecce secuturos jam spondent bella triumphos,
 Nam bene succedes gloria digna Patris,
 Et tibi sunt animo memori dicta illa Poëtæ:
 Non procul à proprio Stemmate poma cadunt.
 Apprecor inde, tuo succedant præmia bello
 Juridico, felix det Deus illud opus.

Ita conatus

*Nobilissimi ac Doctissimi DOMINI RESPONDENTIS
 ex sinceritate sua gratulaturus
 accinit*

JOANNES SEBASTIAN. JOSEPH. DEDELL,
 AA. LL. & Phil. Mag. & Jur. Stud.

JUs Romanorum Remedia plurima nobis
 suppeditat, liceat num jungere cuncta libello,
 Actio num simplex electa sit instituenda,
 Egregius FICHTNER demonstrat non sine laude,
 Vestigio insistens patriæ Virtutis et Artis;
 Compar ut accipiat meritis laudabile munus,
 quo fulgere suum Dominum Patrem videt, opto.

Nobilissimo DN. FICHTNERO
 de fortunato studiorum suorum
 successu gratulatur

JOH. DANIEL GEIBEL.







ULB Halle
005 028 493

3




SB

Wn 8 locat 12







B.I.G.

Farbkarte #13

B. C. D. 1726/10 11 12

ATIO ACADEMICA
DE

VM CIVILIVM
IMINALIVM
EJVDICIO

PRAESIDIO
ON. VNIVERS. RECTORIS
CI HILDEBRANDI
GIS SOLISBAC. PALAT.
S REIP. NOR. CONSILIARII
JVR. FEVD. PROF. PVBL.
VERSITATIS SEN.

JVNII MDCCXXVI

VENTILATA

A

VRICIO FICHTNERO
TDORFINO.

LTDORFII
NI DANIELIS MEYERI.

